



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. VIII. De Primitiis, & Oblationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

confirmet, tamen, quia possessio temporis immemorialis cum legitimis suis requisitis inducit præsumptionem tituli, privilegii, proprietatis & domini arg. l. ult. ff. de aqua & aqu. plu. sicque petitorium involvit, ejus cognitio

ad forum Ecclesiasticum privativè pertinere debet. D. D. Bassus in dict. Semi-Cent. Controv. 26. num. 9. Layman. Theol. Moral. lib. 4. tractat. 9. cap. 2. num. 15. & tractat. 6. cap. 1. num. 6.

§. VIII.

De Primitiis, & Oblationibus.

S U M M A R I A.

90. Quid sint Primitie, & qualiter in Lege veteri solvebantur? 91. Etiam in Lege nova receptæ, non tamen sub præcepto. 92. Solvuntur Parocho. 93. Quid per oblationes intelligatur? 94. Sponte solvuntur, exceptis quatuor casibus. 95. Et pertinent regulariter ad Parochum, si in ejus Ecclesia fiant, exceptis quibusdam casibus.

90 **N**unc etiam de Primitiis & Oblationibus (quæ pars altera Rubricæ h. t. est) breviter dicendum est. Primitiæ sunt primi fructus, quos DEUS in veteri Lege sibi tanquam munificentissimo largitori frugum terræ offerri præcepit, ut constat Exod. 22. v. 29. & cap. 23. v. 19. Et ideo apud Verrium Flaccum vocantur Præmetiæ, quasi primæ messes, quæ prælibationis gratia ante metebantur. Corvinus de Benef. Eccles. lib. 7. tit. 7. num. 3. Ad Primitias non modo fructus primi ex rebus fertilibus progeniti referuntur, verum etiam ex animalibus primogenita. Primitiarum quantitas non legitur in V. T. fuisse determinata, ex ratione à S. Thoma 2. 2. Q. 86. art. 4. ad 3. allegata, quod Primitiæ dantur per modum OBLATIONIS, de cujus ratione est, quod sint VOLUNTARIÆ. Interim ex traditione quadam introductum fuisse, ex S. Hieronymo in cap. 1. h. t. relato lau-

datus S. Doctor refert, quod, qui plurimum liberales se exhibebant, Quadragesimam partem loco Primitiarum darent: qui minimum, Sexagesimam, ceteræ partes mediæ offerentium arbitrio erant relictæ. Primitiæ ita DEO oblatae cedebant usibus Sacerdotum & Levitarum Deut. 26. Num. cap. 5. v. 9. rationem reddit mox laudatus S. Thomas cit. art. C. quia Sacerdos CONSTITUITUR PRO POPULO IN HIS, QUÆ SUNT AD DEUM, ideo Primitiæ oblatae à populo in usum Sacerdotum cedebant. Copiosè & erudite de Primitiarum offerendarum ritu apud Hebræos P. Augustinus Calmet in Diction. Biblic. V. Primitiæ pag. 297.

In Lege gratiæ non quidem legimus, Primitias, Sacerdotibus solvendas, per modum legis à servatore nostro fidelibus fuisse præceptas, à SS. Canonibus tamen hanc legem fuisse innovatam, & confirmatam legimus in cap. 1. 21. 23. 65. C. 16. Q. 1. & ideo Pri-

Primitia in Ecclesiarum bonis numerantur cap. 13. de *V. S.* addimus explanationis gratia verba S. D. cit. *Artic.* Quod talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri Lege. Jure Divino determinatum; in nova autem Lege definitur per determinationem Ecclesiae, ex qua homines obligantur, ut *Primitias* solvant secundum consuetudinem patriae, & indigentiam ministrorum Ecclesiae.

92. Ejusmodi *Primitia* non solvuntur cuicumque Clerico Divina facienti, sed Parocho, cui ex Officio Sacramentorum administratio incumbit. Nec aliter hodie sunt de praecepto, nisi ubi consuetudo eas solvendi adhucdum viget, nam passim in defuetudinem abiisse testantur Canisius cap. 19. n. 6. Azor, & alii: vel si Parochus congruam alias sustentationem non haberet, Suarez de Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 8. n. 16. S. Thom. loc. cit. quo casu *Primitias*, sicut & *Decimas* Jure Divino deberi dici potest, ut ex S. Thoma docet Azor *Instit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 27. V. quinto* queritur. Præterea & hoc notandum est, quod *Primitia* solvantur illi Parochiæ, ubi prædia, ex quibus nascuntur, sita sunt, quia sunt onus reale, non personale. Barbof. de Offic. Paroch. cap. 27. Antonell. de Regim. Eccl. lib. 5. cap. 18.

93. Oblationes, de quibus hic Rubrica, non considerantur in latiori significato, quatenus comprehendunt res quas-cunque, quæ quomodolibet ad cultum Divinum exhibentur, & sic etiam *Decimas*, *Primitias* & ipsum *Sacrificium* complectuntur Genes. 28. & Num. 18. cap. 1. C. 16. Q. 7. sed spectantur pres-

sius, prout nimirum denotant res à fidelibus DEO intuitu Religionis absque immolatione immediate & sponte oblatas, ut in Ecclesiæ & ministrorum usus cedant cap. 29. de *V. S.* Barb. ad tit. de *Decim.* in *Præfat.* num. 5. Est enim de natura harum oblationum, ut sint spontaneæ secundum illud Exod. 25. ab homine, qui offert ultroque, accipietis eas. S. Thom. 2. 2. Q. 86. art. 1. C. Nam oblatio donationi assimilatur: sicut ergo non donatur, quod ex necessitate offertur, ita oblatio dici non potest, quæ spontanea non est.

Excepit tamen S. D. l. cit. quatuor casus, in quibus oblationes non relinquuntur arbitrio offerentium, sed ex necessitate præstari debent. I. Si per modum census ex conventionem cum Ecclesiâ inita exigantur II. quæ ex voto sunt, aut per donationem inter vivos vel mortis causa, vel ex testamento relinquuntur cap. 3. C. 12. Q. 2. c. 9. & seq. C. 13. Q. 2. tunc enim sufficit, quod deputatio, sive promissio ex parte offerentis præcesserit. III. In casu, quo Ministri Ecclesiæ non haberent, unde congrue se sustentare possent. IV. Si consuetudine jam obtentum sit, tenentur enim fideles in aliquibus solennitatibus ad aliquas oblationes consuetas, quod tamen rursus ita limita, ut, si manifesto constet, ejusmodi oblationes à populo ex mera liberalitate, & per modum liberæ donationis fuisse factas sine omni animo obligandi, tunc enim talis consuetudo etsi longo tempore frequentata obligationem non inducit eas posthac ex debito præstandi. Azor *Instit. Moral. part. 1. lib. 8. cap. 27. quest. 12.* Quod si subinde legatur in Concilio Matisconen-

si II. *Can. 4.* in Concilio Romano sub Gregorio VII. habito, quodque refertur in *cap. 69. de Consecr. dist. 1.* quod oblationes id temporis non fuerint arbitrarie, sed ex lege prestandae, per hoc nihil aliud datur intelligi, quam quod PP. Concilii antiquam Ecclesiae praxin, jam pone intercisam, revocare, fideliumque pietatem ad æmulanda majorum suorum vestigia suis quoque adhortamentis accendere voluerint. Vid. *Espenium J. E. V. part. 2. tit. 5. cap. 4. num. 3.*

95. Oblationes regulariter spectant ad Parochum, si in Ecclesia Parochiali fiant, vel in Capella intra fines suae Parochiae sita, non vero ad Capellatum Beneficiatum ejusdem Capellae, quia Parochus vel propter Benedictiones nuptiarum, vel propter Purificationem post partum, vel propter administrationem Sacramentorum, celebrationem Missarum &c. quoad omnes ejusmodi oblationes jus fundatum habet *cap. 55. C. 16. Q. 1.* Panormit. in *cap. 9. de his, quae fiunt à Prælat. num. 2.* Dixi regulariter, nam aliquando debentur ipsi Capellae, Altari, aut ipsi Beneficiato vel celebranti, id quod ex conjecturis desumendum. Sic si oblatio fiat Altari, vel Capellae in Ecclesia existenti non intuitu Ecclesiae, sed ipsius Altaris, vel Capellae, bona distincta habentis, cedit usui Altaris, vel Capellae. *Piascius part. 2. cap. 5. art. 4. num. 44.* item oblationes, quae

sunt Taymaturgae Imagini alicujus Sancti in aliqua Ecclesia, vel Oratorio, cum hæc præsumatur fuisse intentio offerentium, ut ad ejus ornamentum applicentur. *Riccus in praxi jur. Paroch. resolut. 297. & in praxi Orat. part. 4. resolut. 472.* similiter oblationes factae Neo-Myllis in suis Primitiis non sunt Parochi, sed ipsis celebrantibus tam de consuetudine, quam ex mente offerentium debentur. *Fagnan. ad cap. 9. de his, quae fiunt à Prælat. num. 36.* *Pignatell. tom. 8. consult. 142. num. 2.* Et denique, si oblationes à fidelibus fiant ad certum finem v. g. pro fabrica Ecclesiae, vel pro Missis dicendis, ad Parochum illae non spectant, sed applicari debent juxta intentionem offerentium *cap. 27. C. 12. Q. 2.* *Barbos. de Offic. Paroch. cap. 24. num. 30.* quanquam negari non possit, quod in hoc casu administratio, & dispensatio harum oblationum ad Parochum pertineat. *Panormit. d. l. Barbos. d. num. 30. S. Thom. 2. 2. Q. 68. art. 2.* Huc quoque referendum est, quod deciditur in *cap. 1. de stat. Monach. & cap. 16. de excess. Prælat.* nimirum, quod oblationes in Ecclesiis Regularium à fidelibus factae non compendio Parochorum cedant, sed ipsi Monasterio relinquendae sint. *Pasqualigo in observ. ad controuv. inter Episc. & Regul. Laureti de Franchis part. 2. Q. 69. n. 2.*



Ff

Ti